



**Ethica Amoris, Sive Theologia Sanctorum, Magni
Præsertim Augustini, Et Thomæ Aquinatis**

Circa Universam Amoris & Morum Doctrinam, Adversus Novitias Opiniones
Strenuè propugnata, Et In Materiis Principaliter Hodie Controversis
Fundamentaliter discussa

De Externis Regulis Amoris Et Morum, Legibus Utique, ac Præceptis
Virtutum Theologicarum, & Cardinalium, necnon Decalogi & Ecclesiae -
Libros Vndecim Complectens

Henricus, de Sancto Ignatio

Leodii, 1709

Caput XXXIX. Quomodo Consessarius se genere debeat cum usurariis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73203)

idè est, quia donator intendit donare, a-
deòque dominium transferre, quamvis latro,
ob injustitiam metùs ipsi incussi, teneatur
illud restituere; mutuatarius verò domi-
nium auctarii transferre non intendit, uti
probavimus.

446 Ad 5. patet ex dictis. Ad 2. solum addo,
cum S. Thoma ubi supra, usurarium esse do-
minum possessionum, aliarumque rerum,
de usuris acquiratarum; quia fructus sunt in-
dustriæ ipsius, prout habetur cap. cum tu
de usuris, & L. 1. & 8. Cod. si quis alteri.
Enimverò fructus illius sunt, cujus est id
unde sunt fructus, ait S. Doctor ibidem in
corp. Ergo fructus industriæ illius sunt, cu-
jus est industria.

CAPUT XXXVIII.

Usurarium poena.

447 **U**surarii alii publici sunt, occulti alii.
Publici, seu notorii, vel tales sunt no-
torietate juris, quando coram Judice confessi
sunt, vel convicti, vel notorietate facti,
quando ita palam exercent usuram, ut eam
nullà possint tergiversatione negare vel celare.

448 Publici itaque usurarii 1. sunt infames,
ac per consequens irregulares, & inhabiles ad
officia, & beneficia, &c. can. infames 3. q. 7.

2. repelluntur à sacra Communionem cap.
in omnibus de usur. Non tamen ab Officio
divino: quia excommunicati non sunt ex
toto. Tametsi Edicto Belgico anni 1610.
tempore divini Officii templum intrare pro-
hibeantur.

3. eorum oblationes non recipiuntur.
Ibidem. Qui eas acceperit, ipso facto est sus-
pensus ab officio, & oblationes reddere com-
pellitur.

4. ad confessionem non admittuntur, nec
absolvuntur, nisi antè pro viribus satisfecerint
iis, quibus restituere tenentur; saltem
sufficientem dando cautionem creditoribus,
si sint præsentis, vel Ordinario loci, vel Pa-
rocho, coram testibus fide dignis. cap. quam-
quam de usur. in 6. Si periculum mortis non
patiat moram, factà promissione pro viri-
bus satisfaciendi, absolventi erunt. Navar-
rus c. 17. n. 279.

5. ecclesiasticà privantur sepulturâ. cap.
quia in omnibus supra. Siquis propriæ te-
meritatis audaciâ ipsos ejusmodi sepulturæ
tradiderit, ipso facto est excommunicatus.
Clement. 1. de usuris.

6. eorum testamenta cassantur & annul-
lantur. cap. nunquam de usuris in 6.

7. intra tres menses expellendi sunt è
terra, de qua non sunt oriundi, nec ipsis ibi
concedendus habitacionis locus, nec domus
elocanda; si quis elocet, excommunicatur.
cap. 1. de usur. in 6.

CAPUT XXXIX.

Quomodo Confessarius se gerere debeat cum
usurariis.

449 **I**psos ante omnia monere debet, quòd non
tantùm est perfectioris, sed etiam necessitatis,
Tom. II.

publicè (si notorii sint) & in manus Ecclesiæ
restitutiones faciendas promittere & firmare. S.
Thomas opusc. 78. c. 16. idoneam scilicet
cautionem dando, ut supra Quòd si eam
præstare nequeant, debent jurare se non pos-
se, & se facturos quicquid poterunt ut re-
stitutio fiat. Bonacina de contract. disp. 3.
q. 4. p. ult. n. 1. Navarrus ubi supra. Wig-
gers de mutuo & usura c. 6. dub. 24.

2. usurario publico publicam, pro modo 450
culpa, poenitentiam injungere debet, ut quos e-
xemplo suo ad malos mores provocavit, suæ emen-
dationis testimonio ad rectam revocet viam,
inquit Tridentinum sess. 24. de reform. c. 8.
post Apostolum, monentem, publicè peccan-
tes palam esse corrigendos.

3. beneficium absolutionis ipsis non de- 451
bet impendere, priusquam appareat publi-
ca ipsorum correctio, per publicam satisfac-
tionem, prout Gregorius IX. statuit in
Concilio Lugdunensi.

4. si usurarii non fuerint publici, sed 452
occulti, meminerit sequendam sibi doctri-
nam S. Thomæ loco citato: Sic compellen-
di sunt usurarii ad restitutionem, ut beneficium
absolutionis eis deuegetur, nisi restitutionem fa-
ciant plenam, quantum potuerint, aut dilatio-
nem petierint ab his, quibus tenentur restituere,
si utique nunc impotentes sint ad restitutio-
nem faciendam; promittendo interim se pro
possibili restitutos, si facultas ipsis super-
venerit. Cujus si apparentia nulla sit, remis-
sionem postulare debent, ab iis quibus resti-
tuere tenentur; aliàs non absolventi. Nec
enim dimittitur peccatum, nisi restituatur
ablatum. Nec hic molliter agere Confessari-
us debet, sed sacerdotalem adhibere vi-
gorem, solertemque providentiam; dum u-
surariorum avaritia mille modis excusare, &
palliare se solet, impotentiamque allegare,
ubi reverà non est. Qui enim volunt divites
fieri (Apostolo teste 1. Timoth. 8.) inci-
dunt in laqueum diaboli, solâ magnâ, imò
extraordinariâ gratiâ Dei extricabilem, ita
ut facilius sit camelum per foramen acis transi-
re, quàm divitem intrare in regnum celorum,
ut Veritas dicit.

5. debet Confessarius ipsos obligare ad 453
cassandos contractus omnes usurarios quos
fecerunt (uti monet sanctus Carolus Borro-
mæus) idque ante absolutionem; maximè si
in præcedenti confessione moniti, promissam
restitutionem non fecerint.

CAPUT XL.

Amplius explicatur obligatio restitutionis, cui
obnoxii sunt usurarii, ipsorumque hæredes,
ac Notarii.

Usurarii non purè mentales, sed qui ali- 454
quid per usuram (licet absque pacto ex-
terno) acceperunt, ad restitutionem teneri,
constat ex c. consilium de usur. ubi Urbanus III.
definit, eos pro usuraria inentione ad restitu-

Ecc